

duit) contendunt, Confessionem Tetrapolitanam, à quatuor illis civitatibus, Argentinâ, Memmingâ, Constantiâ, Lindaviâ scriptam, nostræ sive principum Confessione per omnia fuisse ὁμόψνητον & consentaneam: adeoq; pari utramq; sensu & dignitate tum acceptam.

mius Antip. 3. pag. 115. & seqq. Item Antip. 4.

29. Hæc nimirum illa est Helena, pro qua, sed adverso planè Marte, non uno iam decennio depugnantes Sacramentarij, non modò nostram Confessionem germano suo sensu spoliare: sed & latibulum quoddam perditæ suæ causæ extruere cogitabant.

30. Labilis profectò vel memoriæ, vel effrenatæ potius malitiæ hi sint homines necessum est, quòd publicis tabulis & monumentis tam impudenter contradicere audent. Nos culpam omnem hac vice memoriæ ipsorum, quæ hæctenus ipsis ὀικονομῶν μαρτυρῶν fuit, ascribentes, veritatem huius quæstionis ex historijs authenticis elicemus. Vos interim attendite Sacramentarij.

31. Prodeat autem testis primus Sleidanus, historicus etiam Imperatoria autoritate approbatus. Is verò sic habet: Interini Argentinenses Constantienses, Memmingi, Lindavi doctrinæ suæ Confessionem scriptam & ipsi tradunt Cæsari. De cæna Domini, non idem hi, quod Saxones, atq; socij sentiebant, neque denique statuerunt, ut simul utramque offerrent Cæsari. Seorsim enim utraq; oblata fuit: & prior quidem Saxonica sive principum.

Confessio Tetrapolitana, quippe Calviniana, in Comitibus non fuit recepta. Sleid. lib. 7. pag. 109. edit. Genev.

Id